UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Feria III. post Dom. IV. Quadr. 24. Cautela magna adhiberi debet in dijudicandis actionibus aliorum, quia nimis facilè committitur judicium temerarium.

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

# SERMO XXIV.

# IN FERIAM TERTIAM DOMINICÆ QUARTÆ QUADRAGESIMÆ.

*Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed rectum judicium judicate.* Joan. cap. 7.

1. Signa exteriora ſunt indicia, à quibus *manuducimur* (ut docet Doctor Angelicus in 4. ſent. diſt. 1. q. 1 a.) *ad cognitionem alicujus occulti*; vel ab aliis definiuntur, quod *ſint notæ indicantes totius rei qualitatem*: ut verò ſicut ſomnia non ſemper ſunt vera, quæ eventus in iis prævisi non ſemper conſequuntur, ita quoque ſigna nonnunquam fallacia exiſtunt. Nec eſt quod quis mihi replicet, quod *ab externis cognoſcantur qualitates internæ*, quia utremè illa communia ſint ginunt opinionem, ut vult Ariſtoteles, & ſunt apparentia [illegible], quæ viſum decipiunt deficiuntque ut [illegible] hominis deludatur: (Circa ſenſibilia communia etiam debitè approximata, conſtat poſſe falli ſenſus externos (ſcribit Philoſophus quidam) ut circa motum aquæ, nec non & numerum, nam facilè judicat ſenſus quod corpus debitè approximatū movea tur, dum verè non movetur, vel quod non moveatur dum movetur.] Et in hiſce caſibus *ſenſus debet corrigi ab intellectu*. Et quidem experientia eſt manifeſta; quilibet enim ſimplex idiota credet, ſibiqui facilè perſuaderi ſinet cicatrices eſſe eaſdem numero in cadavere extincto, quæ erant in corpore virente. Philoſophi autem hanc opinionem condemnant & ejiciunt tanquam à vera Philoſophia alienam: *Cicatrix cadaveris* (inquit Ægidius) *eſt alia ſimilis ei quæ erat in vivo*. Arbor vel baculus in unda conſiſtens judicabitur ab oculo fractus vel tortuoſus: *Virga integra apparet fracta*. Ipſimet montes, qui ſublimes verticem ſuum ad ſtellas uſq; erigunt, ſi radices ſuas fluminibus vicinas habeant, verticem ſuum ſub aquis habere videntur: *juxta aquam videntur tranſverſi*, inquit Joan. à S. Geminiano. Terra denique licet natura ſua firma ſit & ſtabilis, immobilitatis ſuæ fundamentis inſiſtens, iis qui haud procul à littore per mare iter faciunt moveri videbitur. Sic quoque à Potentia viſiva perſuaſi facilè induci poſſent, ut crederent Solem uno pede majorem non eſſe, cùm tamen certiſſimum ſit, eum hoc terræ globo quantus is eſt incomparabiliter majorem eſſe: *Solem què toto orbe terrarum majorem probat ratio* (dicebat Seneca) *acies noſtra ſic contraxit, ut ſapientes viri pedalem eſſe contenderint*. Alii ſimiliter facilè judicarent eundem planetam im̃obilem eſſe, ſiquidem pupilla oculi noſtri non eſt adeò perſpicax, ut ejus progreſſum advertere poſſit; & tamen ſi Aſtrologorum computus verus eſt, decurrit in unica tantum hora integrum millionem, centum & quadraginta millia milliarium; & in eo temporis ſpatio quo Pſalmus *Miſerere* dici poſſet, abſolvit currendo novemdecim millia milliarium, adeò ut per quemlibet illius Pſal. verſum conficiat currendo millia milliaria, ac deniq; priuſquam quis dixerit *Miſerere*, rapidis paſſibus centum miliaria conficit, juxta obſervationem Cardinalis Bellarmini lib. 5. Aſc. grad. 5. Unde Seneca: *Solem velociſſimum omnium eſſe ſcimus, nemo noſtrum videt moveri nec ire crederemus, niſi appareret iſte*. Famoſiſſimus Zeuxes adeò admirabili arte uvæ botrum depinxerat, ut jam jam à vite decerptus fuiſſe videretur, ſiquidem colores ejus adeò veraciter uvam repræſentabant, ut ipſæmet aviculæ veram uvam eſſe

*Ariſt. ad Alexan.*

*Ægid. in [illegible]*

*Seneca l. 1. nat. qu. fo. 450 v. 35 & 36.*

*Seneca ubi ſup.*

eſſe credentes, ad eam deguſtandam advolarint, & deluſæ fuerint. *Zeuxis quidem aves fefellit in pictas uvas advolantes.* Verum quidem de volatilibus loquor? Ipſemet Zeuxis veriſimitudine deceptus; manum ſuam extendit ut velum à Parrhaſio depictum apprehenderet & removeret, adeò hoc affabre & naturaliter efformatum erat: *Parrhaſius ipſum artificem linteum in tabula ex reſſum verum eſſe arbitrantem fefellit.* Quis obſecro Carthaginenſes timidos & devictos fuiſſe non exiſtimaſſet, quando Almicaris Ducis ſui præcepto proras fugitivi verterunt: Et tamen *ſimulata fuga* (ſcribit Polyb.) *repentè ſimul converſi inſequentes Romanorum naves invadunt, & victores evaſerunt.* Laban ex fuga Jacobi eum Idola ſua aurea & argentea furatum eſſe conjecit, qui tamen innocens fuiſſe noſcitur. Ex ſilentio Annæ Propheti ſſæ Heli Sacerdos eam temulentam eſſe judicabat, & tamen ſobria & continens erat: *Vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibi.* Quod ſimilem conceptum populare vulgus de Apoſtolis formarit, audiendo quod *loquebantur variis linguis*, omnibus eſt manifeſtum: *Muſto madere deputant*, & tamen id ipſum effectus quidam erat cauſatus à Spiritu S. Eodem modo viatores una cum Paulo è navi exſcendentes, cùm viderent viperam quandam in eum inſilire, ejuſque manum mordendo vulnerare, eum mox gravem quendam peccatorem eſſe pronuntiarunt: *Homicida eſt homo iſte, & ultio non ſinit eum vivere.* Act 18. qui tamen eum nequicquam læſum fuiſſe videntes, *Dicebant eum eſſe Deum.* O levitas hominum in actionibus alienis ex ſignis communibus, & apparentibus conjecturis dijudicādis nimis præcipitum & temerariorum! *Leniſſimi hominis eſt ſecundùm faciem judicare*, inquit Gregorius. Et ratio eſt ſecundum Theophylactum: *Quia fallitur humanum judicium.* Unde non debet quis eſſe adeò facilis in fide, ſignis tantū apparentibus adhibēda, & in judicando *ſecundùm viſionem oculorū, vel ſecundùm auditum aurium.* Iſaiæ 11. Nunquid ô Roma Salvatorem noſtrum id expreſsè in hodierno Evangelio præcipientem audis dum ait: *Nolite judicare*, id eſt, ut explicat Dionyſius Carth. *Superficialiter ſecundùm ſolam apparentiam, ſecundùm ſigna incerta & ſenſum exteriorē.* Et ratio eſt. *Tale namq; judicium ſemper fallit.* Id quod in præſenti diſcurſu prolixius oſtendemus. Abſit autem ut ex prolixitate Exordii hujus ſermonis, prolixum quoq; reliquum ſermonis futurum eſſe judicetis, id enim ſi ſuſpicemini, ſiniſtrè judicabitis, & decipiemini. Exordium.

*Franc. Mend. in viri.l.7. prog. 1.*

*Polyb. l.1. hiſt.*

*1.Reg.1.*

*In hym. Pent.*

*D. Greg. l. 6 mor. ca. 3*

*Theoph. 1.Cor. c.4.*

*Dionyſ. Carth. in c.7 Ioan. art. 19.*

2 *Nolite judicare ſecundùm faciem.* Porrò judicium humanum, quando actiones proximi veras vel falſas, bonas vel malas judicat, temeritatis notam ſibi adſcribit, ſi moveatur ex aliquo probabili tantum indicio, imaginatione, vel ſuſpicione. *Puta cùm quis de his judicat quæ ſunt dubia, vel occulta propter aliquas leves conjecturas, & abſque certitudine rationis*, ut docet Angelicus Doctor S. Thomas. Ac proinde ut ab hoc notabili defectu nobis caveamus, optimè nos monet Apoſtolus, dum ait: *Nolite ante tempus judicare*, Cor. 4. ubi gloſſa dicit: *ante tempus ſcilicet cognitæ veritatis.* Et ratio eſt ſecundum S. Gregorium: *quia ſatis grave & indecens eſt ut in re dubia certa detur ſententia.* Id quod ex multis capitibus naſci poteſt, præcipuè verò, ut indicat Rainerius de Piſis, *ex ignorantia principii*, quod eſt intentio operantis; ſiquidem vera nos Theologia docet operationes noſtras quoad hoc quod ſint meritoriæ vel demeritoriæ, ab intentione & voluntate operantis dependere, quàm an bona ſit vel mala, directa vel indirecta, cognoſcere non poſſumus. Sic v.g videbimus aliquem facientem Eleemoſynam, eamque actionem meritoriam & gloria dignam exiſtimabimus, & tamen fieri poteſt, quod ſit demeritoria & malitioſa, ſolùm ex eo quia voluntas ejus eſt indirecta & vitiata, quia alias alio fine non intendit facere quàm *ad captandam inanem gloriam.* Alius autem actionem aliquam eliciet, quàm quoad materiale apparentiæ exiſtimabitis indecentem, at verò quia intentio ejus à virtute regulatur, opus id illud verè & realiter fructuoſum & ad gloriam Dei directum erit. Unde cùm voluntatem humanam penetrare difficillimum ſit, utpote quod ſoli Divinæ Majeſtati eſt reſervatum, non minus arduum erit de actionibus humanis rectum & æquum ferre judicium: Nunquid Phariſæum illum velut ſanctum canonizaſſes, quia in ſacro templo coram altari hunc in modum ſemetipſum deprædicabat: *Non ſum ſicut cæteri hominum raptores, injuſti, adulteri, jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo?* Luc. 18. Et è contra nunquid Publicanum illum veluti reum condemnaturus fuiſſet, qui oculos ſuos indignos, qui cælum aſpicerent, judicabat, utpote culpæ faſcino laborantes: *Nolebat oculos ad cælum levare.*

3. Et tamen Phariſæus non juſtificatur ob voluntatis defectum, quia opera ſua ad conſecutionem vanæ gloriæ, non verò ad gloriam

Dei

Deiordinabat: Publicanus autem *deſcendit juſtificatus in domum ſuam*, Ecquis autem ob defectum notitiæ voluntatis, utriuſque non potius judicaſſet omninò contrarium? Unde S. Auguſtinus ait: *Incertum eſt nobis qualis futurus ſit, qui nunc bonus vel malus apparet. & ideò temerarium eſt propter aliquod bonum præſens vel malum de aliquo judicare.* Quis non ſtultitiam potius quam mortificationis actum eſſe dixiſſet; ſi in frequentiſſima totius urbis Romanæ platea B. Philippum Nerium è manu Beati Felicis de Cantalitio Capucini phialam quandam accipientem ex eaque in conſpectu totius populi bibentem, poſtea verò bireto ſuo caput Beati Capucini contegentem, ipſum verò nudo capite coram eo aſtantem vidiſſet, audiſſetque eum B. Felici præcipientem, ut hoc bireto contectus per totam civitatem Eleemoſynarum quæſtum facturus procederet? Et tamen prout juſſus fuerat, abivit, atque actio illa licet apparenter ſpectantium judicium eo inducere potuiſſet, ut ab iis contemneretur, *ex ignorantia principii*, nihilominus quia voluntas utriuſque viri ſancti bona erat, actiones quoque utriuſque laudem, non verò vituperium merebantur ad *profundam ſententiam* (eſt monitum S. Gregorii Papæ) *nunquam præcipites eſſe debemus, ut temerè indiſcuſſa judicemus.*

D. Greg. in c. 23.

4. S. Thomas nos in hunc errorem duobus præcipuum modis incidere poſſe docet: vel indiciis levibus de bonitate alicujus, & ſic committitur peccatum veniale: *vel ex indiciis levibus de malo alicujus*, quod ſi eſt conſiderabile & grave, peccatum mortale eſſe cenſetur, maximè cum ex tali judicio damnum illi accidat, de quo tale judicium formatur. Atque ideò cavendum nobis eſt, ne aliquo horum modorum judicium apud nos proferamus. Et quidem licet tanquam homines nonnunquam ſuſpicionum evitare non poſſimus, nihilominus abſtinere poſſumus, ne tanquam veritatem affirmemus, quod propriis oculis non vidimus, aut ex certa ſcientia non cognoſcimus, prouti ex Gloſſa habemus, quæ dicit: *Etſi ſuſpiciones vitare non poſſumus, judicia tamen id eſt, definitivas firmaſq; ſententias continere debemus.* Eſt ratio eſt juxta Hyppocratem, quia valdè difficilè eſt judicare de illo, de quo nullam certitudinem, ſed opinionem tantum habemus: *Ars longa, vita brevis, occaſio præceps, experimentum, judicium difficilè:* Ac proinde priuſquam judicemus, videre debemus, ipſamque linguæ vel mentis ſententiam, oculi præcedere operatio debet. Poſtquam Deus cœlum & terram formaſſet, mox ad lucem à tenebris dividendam ſeſe applicuit: *Diviſit Lunam à tenebris.* Circa quod difficultas quædam mihi ſubnaſcitur; Nam ex quo Deus lucem à tenebris diviſit, ſignum eſt quod antecedenter unitæ vel ſaltem ad minus conjunctæ fuerint, quod tamen verum eſſe nequit, cùm inter ſe contrariæ exiſtant, unde lux tenebras pellit, & tenebris invaleſcentibus lux ipſa quoque fugit: quomodo igitur dividi potuerunt, ſi conjunctæ non erant. Raban Maurus hunc paſſum interpretans, ſatis rationabilem ſenſum eidem attribuit, dicens: *Lucem videlicet in ſuperiori orbis parte diffundendo, in qua humana erat converſatio futura, inferiora verò ejus priſcis in tenebris remanere ſinendo.* Alii verba illa de viſione Angelorum bonorum à malis intelligi volunt: *An hoc intelligitur de diſtinctione Angelorum lucis, ab Angelis tenebrarum?* Ita Fr. Georgius Venetus. Ægid. Columna dicit tenebras nullum habere eſſe poſitivum, ſed privativum, ac proinde ſubjungit, quod *Deus à principio quædam corpora fecit, quæ nondum erant decorata per lucem, ideò illa corpora dicuntur tenebræ, quia erant tenebroſa propter carentiam lucis*, conformiter ad doctrinam S. Baſilii, qui docet, *Has tenebras non ſecundùm eſſentiam ſubſtitiſſe, ſed affectionem eſſe circa diem quæ ad privationem lucis ſucceſſit.* Ac proinde Hugo præ omnibus aliis aptius propoſito meo quadrat, quo loco verbi diviſit, legit, judicavit, id eſt, Deus per actum intellectus judicavit, hæc eſt lux, & hæ ſunt tenebræ: *Judicavit lucem non eſſe tenebras:* Veruntamen obſervandum eſt quod Moyſes Deum feciſſe referat, priuſquam in hunc judicii actum prorumperet: *vidit Deus lucem quod eſſet bona*, unde priuſquam judicaret voluit ut videre præcederet; non quod Deus antea non viderit, vel opus ei eſſet ut videret, cùm per ſuam ſcientiam quæ à ſacris Theologis *viſionis* appellatur, *unico intuitu* videat, ſciat & cognoſcat omnia objecta præterita, præſentia, & futura, ſed ut nos doceat quod non debeamus judicare aliquid, niſi id primo viderimus, vel niſi id per certam ſcientiam hoc vel illo modo ſe habere ſciamus: *Noluit prius dividere vel judicare quam vidiſſet, adducit enim opus in judicium contra præcipitantes ſententiam.*

Geneſ. 1.

Raban. l. 1. in Gen. c. 2.

Georg. Venet. ſer. 1. de mundi fab. Ægid. p. 1. in Hexam. Baſil. ho. 2. in Exam.

Hugo in c. 1. Gen.

5. In Apoc. Deus S. Joan. Evangeliſtam ad ſe acceſſit, eique præcipit, ut ad ſingulos Epiſcopos Epheſi, Smyrnæ, Pargami, Thiatiræ

ſcribat, iiſque voluntatem ſuam declaret; vult autem in Epiſtola ad Epiſcopum Epheſinum hæc particularia inſerat: *Angelo Epheſi Eccleſiæ Scribe: Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum &c.* Porrò ſingulas ad alios tres Prælatos conſcriptas literas diligenter pervolvi, & poſtquam ſingula obſervaſſem, inveni quod circumſtantia illa de ſtellis, candelabris à S Joanne inſerta fuit ſoli literæ Epheſino Epiſcopo inſcriptæ, in cæteris autem nulla ſtellarum aut candelabrorum mentio fiat, ac proinde ſtatim cogitavi cur ſoli Epheſino Epiſcopo, non verò aliis Coepiſcopis Aſiæ talia ſcribuntur? ac tandem inveni quod Deus hujus Paſtoris opera conſideratit: *Scio opera tua*, eaque reprehenſibilia eſſe invenerit, utpote qui in charitate & ſervitio Dei refrixiſſet: *Habeo adverſum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquiſti.* Verum ad quid huic rei conferunt ſplendeſcentes in manu ſtellæ, & candelabra per circuitum ejus accenſa? Num fortè Deus ſtellis & accenſis candelabris opus habet, ut ſibi ambulanti lucem adferant? Jam id edicam: Nimitum voluit Deus hujus Epiſcopi actiones & vitam judicare, eumque velut in quo charitas refrixerit, & in ſervitio Dei negligens extiterit, tanquam defectuoſum atque niſi pœnitentiam ageret reprehenſione & ſupplicio dignum ſententiando proclamare: hoc autem judicium in obſcuro edere aut cæco modo ſententiam hanc decidere noluit, ſed ad ſeptem ſtellarum quas habebat in dextera ſua, & ſeptem candelabrorum ardentium perſpicuum lumen: *Vt intelligamus quam circumſpectus ſit in damnando, quàm in judicando cautus Dominus Deus, & accendiſſe ſe candelabra, & advocaſſe ſtellarum lumen teſtatur.* Ergone Deus qui totus quantus eſt, merus eſt oculus, cui nullum ſecretum non eſt manifeſtum, qui reconditiſſima cordis humani penetrat, qui remotiſſima abyſſi penetralia aſſequitur ad dijudicanda Epiſcopi Epheſini opera, quæ ipſi evidentiora ſunt, quàm lux Solis eſſe poſſit oculis humanis, lumine aliquo opus habebit? Et nos qui talpæ ſumus actiones reconditiſſimas humanæ voluntatis ex ſolà apparentia exteriori judicare vellemus? nimis temerarium eſt noſtrum judicium, ſi Divino ſimile aut eodem perſpicacius ſe eſſe prætendat; ecquemnam enim majorem poſſet errorem committere, quàm exiſtimando ſe non errare quando judicat?

*Apoc. 2.*

*Alexander Allegr.*

6. Matth. 22. Solemniſſimæ habitæ fuere nuptiæ, ad quas omnis imaginabilis lautetiei apparatus concurrit, ut proinde meritò regiæ dictæ fuerint, ad quas unicuique pro libitu ſuo liber indulgebatur aditus & accubitus, ac proinde ingens ad illas virorum & matronarum illuſtrium multitudo confluxit, qui inter ſe certare videbantur, uter eſſet opulentiori & pretioſiori veſte indutus; dum autem in lætitia & hilaritate cordis omnes convivarentur & epularentur; Rex movere ſe cœpit, & in medium triclinii digreſſus, ubi à convivis pro more agebantur tripudia, cùm ſingulos accurate conſideraſſet, certum quendam obſcurum hominem, qui totam hanc nuptialem ſolemnitatem mirè confundebat, notavit, qui non erat pari cum aliis veſte amictus. Unde Dominus graviter iratus, cùm eum ad hoc ut in tot tamque illuſtrium convivarum ſocietatem admitteretur, judicaſſet indignum, interrogare eum cœpit, qua fronte auſus fuiſſet iſti ſe immiſcere ſolemnitati: *Non habens veſtem nuptialem*? Matth. 22 Moxque diram hanc adverſus eum per miniſtros ſuos protinus exequendam pronuntiavit ſententiam: *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Porrò nonnullorum opinio eſt hunc indignum convivam à miniſtris notatum & viſum eſſe, qui licet ob veſtis ſuæ neglectum & immunditiem ei indignarentur eumque exhorreſcerent, non tamen auſi fuerunt eum dimittere, ſed hanc ejus temeritatem Domino ſuo indicarunt, ut is eum vel puniret, vel tanquam indignum è convivio exturbaret. Qui tamen ſervorum ſuorum relationi credere nolens, priuſquam ſententiam adverſus eum pronuntiaret in propria perſona ſeſe movit, ut oculis propriis certiorem ſemetipſum de eo redderet, quod miniſtrorum voce ad ſe delatum audiverat: *Intravit autem Rex ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali.* Obſervandum autem quod eum Rex vel Dominus ille non judicarit, niſi prius ad ſe de rei veritate omninò certificandum, ipſemet in propria perſona rò ſe contuliſſet, neque eum ad carceris tenebras condemnat, priuſquam oculis ſuis facti ſpeciem vidiſſet: vidit ibi hominem. Unde videmus ipſummet Deum quem hic Rex refert, neminem judicare, niſi de rei veritate per oculorum ſuorum aciem ſecurum ſe reddiderit, idque non alio fine, quàm ad noſtram doctrinam. Unde Gregorius Papa ait: *Omnipotens itaque Dominus*

*nus & omnia ſciens, cur ante prolationem quaſi dubitabat, niſi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præſumamus credere quàm probare?*

7. Poſtquam ille Paterfamilias in agro ſuo ſeminaſſet triticum, quidam fortunæ ſuæ invidentium æmulorum de nocte ſurrexit, & tritico zizania ſuperſeminavit: *Venit inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici.* Matth. 13. Servi autem ejus aliquanto poſt tempore in agrum illum ingredientes ut viderent an ſemen germinare cœpiſſet, & triticum zizaniis plenum eſſe animadvertentes, Domino ſuo id nuntiarunt, eique pariter operæ pretium futurum eſſe dixerunt ſi zizania eradicarentur, ne ex illis impediretur, aut ſuffocaretur frumentum: *Vis imus & colligimus ea?* quibus tamen Paterfamilias minimè conſentiens, dixit: *Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum* q.d. Non inferatis vobis ipſis aliquam per ejuſmodi eradicationem moleſtiam, ſed ſinatis utraque creſcere uſque ad meſſem, tunc enim tempus erit ea eradicandi. Verum dicat hic aliquis cùm hoc pernicioſum ſemen tritico impedimento ſit, ne creſcere poſſit, cur non exſtirpatur, dum adhuc eſt in herba, ſed meſſis expectari præcipitur; tunc æternum quod poterat facere damnum, utpote jam ſtabilitum illatum, tardius præcavetur; differre majorum eradicationem uſque ad meſſem idem eſt, ac malo alicui tunc velle mederi, quando malitia & pernicies ejus eouſque excrevit, ut proſus ſit irremediabilis, cur igitur famulis ſuis operam ſuam ad extirpandum promptè offerentibus, abſolutè prohibet ne faciant, cùm tamen Apoſtolus nos doceat & moneat dicens: *Auferte malum ex vobis* 1. Cor. 15 S. Paſchaſius difficultatem hanc ingenioſè reſolvit dicẽdo, quod triticum pariter & zizania tunc in herba fuerint, quo tempore difficulter inter utrumque diſcerni poteſt, utrum bonum vel malum ſit, atque periculum ſubeſſe poterat, ne fortè triticũ zizania & è contra zizania triticum eſſe arbitrati unum alterius loco eradicaſſent, atque ideò eos expectare voluit *uſque ad meſſem*, tunc enim manifeſtè cognoſcuntur, atque ſine ullo erroris periculo eradicari zizania poſſunt. Enimverò exiſtimo cœleſtem Magiſtrum noſtrum nobis per hanc parabolam perſuadere voluiſſe, ut in judicando nimis furibundi ſimus atque præcipites; ſiquidem in agro mundi hujus naſcuntur, zizania malorum, bonorum tritico valdè ſimilia; ac proinde iis non eſt accelerandum judicium, quia facillimè fieri poſſet, ut error committeretur zizania triticum, vel triticum zizania, ſive malos tanquam bonos, aut bonos tanquam malos judicando; ac proinde, *Sinite utraque uſque ad meſſem*, id id, expectate donec actiones humanæ fiant manifeſtæ, & tunc illas judicate prout ſunt, ſcilicet triticum vel zizania, id eſt, bonas vel malas eſſe: (Aliud eſt de manifeſtis apertiſque criminibus judicare, aliud de his quæ adhuc quaſi in herba latent; nam zizania antequam in culmen veniant, aut dum in herba ſunt, tanta ſimilitudo in eis eſt, ut diſcerni vix aut nunquam poſſit, & ideò Dominus ſinite, inquit, uſque ad meſſem, dum aliud protenditur in ſpecie, aliud miniſtratur in flore,) inquit Paſchaſius l. 7. in Matth.

8. Pharifæi habito inter ſe conſilio ſtratagema aliquod adinvenire decreverunt, per quod Dei Filium calumnia aliqua aſpergere poſſent. Cùm enim Cæſareis tributis valdè gravarentur, ſe ad ea pendenda minimè obligatos, ſed ab iis ſe exempros eſſe prætendebant, adeoque in pleno conſilio in ſimiles ferè inciderunt diſcurſus: Remittamus hanc de tributo Cæſari pendendo vel non pendendo cauſam ad judicium Chriſti; quod ſi enim eam in favorem noſtrum deciderit, tunc nos quidem intentum noſtrum habebimus, ipſe autem Cæſaris ſuper ſe indignationem magnam conciliabit: quod ſi autem ſententiam pronuntiaverit nobis adverſam, hanc nos velut juſtæ offenſæ occaſionem datam interpretabimur dira ipſi deinceps inferendo ſub prætextu excuſationis hujus legitimæ: quod conſilium ab omnibus acceptatum & ſubſcriptum fuit *nemine diſcrepante*; ac proinde nonnullos de Collegio ſuo eligunt, qui ad Salvatorem noſtrum ſe recipiant, ei totius concilii nomine dicant: Magiſter, eſt nobis cum Cæſare gravis quædam controverſia, ipſe namque tributa à nobis pendenda eſſe prætendit, nos verò ab hac obligatione immunes nos eſſe credimus, cùm itaque conſtet, te non minus juſtitiæ, & æquitatis, quàm perſonarum Religioſarum defenſorem eſſe, nec ulla paſſione duci, aut perſonarum acceptiones moveri, hinc te in Advocatum & Judicem cauſæ noſtræ eligimus, determina igitur nunc, & judica cauſã noſtram conformiter ad juſtitiæ & debiti rectitudinẽ: *Dic ergò nobis, quid tibi videtur, licet cenſũ* *Cæſari dare, an non?* Verum quidem etiam, quod Pompejus Julii Cæſaris contemporaneus Ju- Matth. 22.

dæam ſubjugaverit, noſtrique Majores Romanis neſcio quod tributum dare acquieverint, ut eo expedito in pace deinceps vivere poſſent. veruntamen nonnulli Rabinorum noſtrorum, præcipuè verò Judas Galilæus in ea ſunt opinione, nos utpote populum Dei huic legi de pendendo tributo minimè ſubjacere, ſed potius liberos eſſe, nobiſque noſtris utendum eſſe privilegiis. Quicquid ſit, totam cauſam ad tuum remittimus judicium, noſtraſque rationes manibus noſtris conſignamus. Chriſtus autem, qui ipſorum clarè ſatis cognoſcebat inſidias, eos primò tanquam hypocritas & ſimulatores reprehendit, dicens: *Quid me tentatis hypocritæ?* Poſtea verò monetam ſibi exhiberi petiit: *Oſtendite mihi numiſma cenſus.* Enimverò fortaſsè dicis: Nunquid monetæ figura & inſcriptio jam ante Chriſto nota erat? Haud dubiè: quid igitur opus erat, ut illa ei monſtraretur & videretur ab illo? Jordanus noſter de Saxonia optimè reſpondet, quod Chriſtus priuſquam judicaret illorum cauſam, eamque hac ſententia determinaret: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo;* voluerit prævidere cognitionem viſualem: Et tametſi totum ex certa ſcientia cognoverit & ſciverit, nihilominus voluit ut diſceremus non eſſe judicandum priuſquam habeamus notitiam certam rei judicandæ, ſecus enim facilè nos incurrere poſſe evidens periculum, ne judicium noſtrum tanquam temerarium arguatur: *Voluit Dominus videre materiam quæſtionis, ut nos tacitè informaret, ne ſimus præcipites in ſententiando, ſed maturè inquiramus, antequam definiamus.* Ac proinde Græci judicium humanum in ſchemate quoddam repræſentaturi, jumento cuidam inſidentem depingebant puerum oculos habentem obvelatos, manu verò ſua arundinem geſtantem; per hoc nobis indicare volentes, quod judicium actionum alienarum, ſi cœco modo & oculis obvelatis veluti à juvene imprudente & ignorante pronuntietur, tandem inſtar arundinis vacuum & inane eſſe comperiatur. Unde Sanctus Joannes ad hoc ut nullum judicando errorem committeremus, optimè nos monuit, ne exteriori ſpeciei, aut relationi ſubitò fidem adhibeamus, continget enim vos Religioſum aliquem habitu regulari indutum videre, qui tamen interius diſſolutior & ſceleratior ſit quovis flagitioſo homine, ſi ſpeciei exteriori crederetis, aliud dicere non poſſetis, quam eum verum quendam

*Iord. de Saxo. ſerm. 444. lit. B.*

Catonem eſſe, quem tamen poſtea familiarem vobis factum verum deprehenditis eſſe Neronem: Accidit proinde multis idem quod ſimplicibus ruſticis illis evenit, qui Lunæ imaginem in fluvio, è quo aſinus biberat, non amplius videntes, eam ab aſino una cum aqua abſorptam eſſe credebant, ac proinde aſinum excoriantes Lunam in ejus corpore ſe reperturos eſſe exiſtimabant: quod ſi hi idiotæ perſpicilla è vitro vel cryſtallo rubeo formata oculis adhibuiſſent, judicaſſent utique omnes homines Cardinales fuiſſe purpura veſtitos. Indelebilibus ergò characteribus hoc menti veſtræ monitum Joannis inſcribite: *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint:* docente nos Seneca: *ut nihil niſi quod in oculos inciderit, manifeſtumque erit, credamus.*

9. Imò ſæpenumero etiam in ſuſpicionem trahendum non eſt id, quod oculus vidit, vel auris audivit, unde Iſaias ait: *Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit, nec ſecundùm auditum aurium arguet.* Porrò ex ipſiſmet Salvatoris noſtri actionibus, quæ prorſus irreprehenſibiles fuêre, idipſum diſcamus. Etenim certus quidam homo validus apparente quadam devotione, & ficto animam ſuam ſalvandi deſiderio ſtimulatus ad Chriſtum accedens ad ejus ſe pedes provolvit, ſumma cum inſtantia eum rogans, ut veram ad Paradiſum cœleſtem perveniendi viam eum edoceret, ac proinde hunc in modum eum interrogavit: *Magiſter bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* Mox Dominus bonum ſe appellari audiens, ab ipſo ſe avertit, ipſumque iratus reprehendit, dicens: *Quid me dicis bonum?* Verùm, ô mi amantiſſime Redemptor: cur bonus appellari renuis? Num fortè nomen iſtud tibi non convenit? Scio equidem te ipſiſſimam bonitatem in abſtracto eſſe, nec ullam tua bonitate majorem inveniri poſſe, aut certè, ſi tu bonus non es, quomodo nos boni dici poterimus, qui ipſiſſima malitia ſumus? Quod ſi igitur hic veritatem dicat & confiteatur; cur ipſum reprehendis? Si nunquam veritatem aliquam enuntiavit hac certiorem, cur illum in voce arguis: Tu quidem ei reſpondes, neminem præter Deum, cui ſoli bonitatis titulus debetur de bonitate gloriari poſſe: *Nemo bonus niſi ſolus Deus;* at verò tu ipſe verus Deus es, igitur ſapientiſſimè facit, ſi te tanquam bonum publicè celebret. Audite S. Ambroſium, ô Auditores, quid hac de re diſſerat; dicit enim: *Verſuta interrogatio, & ideò acuta reſponſio.* At ve-

ro in quo malitioſa hæc interrogatio, & prudens Salvatoris reſponſio conſiſtit? Reſpondet idem met S. Ambroſius, hunc ſollicitantem non credidiſſe Chriſtum Deum eſſe, & tamen eum bonum proclamaſſe, ac proinde jure à Chriſto repræhenſum fuiſſe dicente: Bonitas in ſolo Deo eſt, cùm igitur tu me Deum non eſſe ſentias, quomodo me bonum eſſe confiteri audes: *Quid me dicis bonum, quem negas Deum? quid bonum dicis, cùm bonus nemo niſi ſolus Deus?* Ac proinde credo Filium Dei ipſum repræhendiſſe, eò quod præſumpſerit eum tanquam bonum judicare, cujus nullam præviam habebat cognitionem; eſſe quidem poterat, quod alios de ſua bonitate diſcurrentes audiviſſet, vel quod in eo bonum laudeque dignum opus obſervaſſet, ac proinde judicium ſuum nec injuſtum, nec ſiniſtrum, falſum, nec temerarium eſſet; nihilominus eum repræhendere voluit, ut nos ex hoc diſceremus, non formare de illis proximi actionibus aliquod judicium, quæ nobis ex certa ſcientia non ſunt manifeſta, quam etiam cauſam ſanctus Gaudentius affert, dicens: *Nolite vocare bonum, quem vos neſcitis.*

10. Quod ſi autem prohibemur judicare *ex indiciis levibus de bono*: quantò minus *de malo* dicimus? Et tametſi ſignum aliquod apparens & probabile videremus, quia tamen illud fallere poteſt, refrænandum à nobis eſt judicium noſtrum. Poſtquam Joſeph MARIÆ Virgini deſponſatus eſſet, mox eam gravem uterum ferre advertit, dicitque ſacer textus, quod *noluit eam traducere, id eſt, Judæis quaſi adulteram tradere, & puniendam exponere*, ut explicat Dionyſius Carthuſianus, idque non alia ratione, niſi quia tametſi eam videret gravidam, nunquam tamen ſiniſtrum de ea formavit judicium: nam ſi perperam de MARIA cogitaſſet, *& non traduxiſſet eam, fuiſſet injuſtus, quia ſecundùm legem non ſolum actor ſceleris ſed conſcius ejus obnoxius eſt peccato ſi taceat*; adeoque ut ſanctus Joannes Chryſoſtomus ſcribit potius poſſibile eſſe judicavit, quod mulier aliqua miraculoſe & abſque opera humana interveniente gravida fieret, quam quod ſponſa ſua MARIA aliquem committere reatum vel defectum potuiſſet: *Poſſibilius eſſe credebat, mulierem ſine viro poſſe concipere, quàm MARIAM poſſe peccare*: Poſtea verò expreſsè ſubjungit: *Manifeſte videbat, & ſuſpicari non poterat.* Verum replicare quis in contrarium poſſet, ſi Joſeph nihil mali de MARIA judicavit, qua igitur ratione ſalvare poterimus quod ſacer Evangeliſta ſubjungit: *Voluit occultè dimittere eam?* Ergo ſupponitur quod perperam facta de ea ſuſpicatus fuerit. Nequaquam (reſpondet Origen,) ſed *ideò dimittere volebat, quoniam magnum Sacramentum in ea cognoſcebat, cui approximare ſe indignum æſtimabat*. Atque ideo, ô ſanctiſſime Patriarcha, meritò juſti titulus tibi attribuitur, tum quia adeò fuiſti in judicando circumſpectus; tum etiam quia adeò te humilē exhibuiſti, quando indignum te eſſe cenſuiſti, qui MARIÆ ſanctitatis Ideæ proximus atque vicinus eſſes. Hinc igitur noſtri ſæculi homines addiſcant peſſimè ab ipſis fieri, ſi ſe ad illud etiam quod oculis propriis vident, temere judicandum induci ſinant. *Origen. apud D. Thom. in cat.*

11. Et tamen his non obſtantibus homo temerarium judicium ſuum refrænare non poteſt, ſed ab iis quæ extrinſecus videt, etiam ad ea quæ homo in corde ſuo latentia hábet, judicanda ſe ingerere non dubitat. Job inſigne illud patientiæ ſpeculum de quibuſdam eum in extrema miſeria ſua conſtitutum viſitantibus (quos an amicos, vel inimicos ejus dicere debeam valdè hæreo) vehementer eſt lamentatus, qui poſtquam eum in maxima miſeriarum præcipitia collapſum eſſe viderunt, ejuſmodi de eo faciebant judicium, quod ſcilicet ex quo Deus, qui juſtus eſt tanta cùm ſeveritate & rigore eum caſtigaret, infallibiliter talibus onuſtus eſſet peccatis, quæ vulgares peccatorum limites enormiter excederent; Id quod invictus hic patiens animadvertens, ad eos converſus graviter de temerario eorum procedendi modo eſt conqueſtus, dicens: *Quare perſequimini me ſicut Deus?* Veruntamen, ô invicte patiens, ſine cauſa lamentari videris; Deus enim juſtus eſt, & ſine ratione non movetur, atque ideò ſi hi amici tui Dei more tecum agunt, juſtè utique & non irrationabiliter tecum procedunt, atque ideò ſilere potius, quàm lamentari debebas. Porrò S. Gregorius Papa S. Jobum defendit, quaſi diceret: *Ita me ex infirmitatibus meis affligitis ac ſi ipſi more Dei de infirmitatibus nihil habeatis.* At verò S. Paſchaſius verba Jobi penitius examinans, alium eorum ſenſum adducit, nimirum quod de amicis ſuis ideò fuit lamentatus, quod hi ex eo quod eum extrinſecus valdè afflictum & calamitoſum viderent, eum quoque in interiori conſcientiæ ſuæ ſinu peſſimè conſtitutum eſſe judicarent; adeò ut quando Job in hæc verba prorupit: *Quare perſequimini me ſicut Deus?* verba hæc nullo modo cenſeri debeant ac ſi fuiſſent patientis hujus viri querelæ, ſed juſtæ repræhenſiones, quaſi di- *Iob. 19.* *D. Gregor. ibid. cap. 25. fol. 90. col. 2. lit. F. Et Strabo Fulgenſis ibid.*

cere voluiſſet: Proprium quidem hominis eſſe videtur ſiniſtre judicare de eo quod non videt, qua autem ratione vos ſcire poteritis, quiſnam ſit conſcientiæ meæ ſtatus; ad Deum hoc pertinet, qui occultiſſimas perſpicit cordis noſtri cogitationes; vos autem cæco modo judicatis, atque ideò judicia veſtra tanquam temeraria repræhendi merentur: *Auctori tantum debetur hoc privilegium, ut conſcientiam poſſit intrare ſecretam.* Etenim eo ipſo quo eam vobis arrogatis licentiam, conſcientiam nimirum ſententiandi humanam, nimiam veſtram proditis arrogantiam, & cum ipſomet Deo contendere velle videmini Audite Tertullianum. *Æmulantur Divinitatem, dum furantur Divinitatem.* Enimverò inficiari haud quaquam poſſumus, quod homines in hunc errorem facillimè labantur. Sic Cajus Furius Creſinus poſſeſſionem quandam habebat valdè modicam, quæ tamen multos ei annuè pariebat fructus: E contrà verò ex vicinis ſuis nonnemo poſſeſſionem valdè magnam & præpinguem habebat, è qua tamen exiguum ſibi annuè cenſum colligebat. Hic igitur Furium quaſi per viam maleficiorum & incantationum vineam ſuam fertiliorem & fœcundiorem redderet, accuſavit, qui in judicium ut ſe purgaret, accerſitus, palis, ligonibus, vomere optimè inſtructus, in conſpectu judicum comparens, dixit: Hiſce ferris, ô Domini mei, judices, terram meam incantavi: Hæc inſtrumenta pariter & labores mei ſunt maleficia, quibus agros & vineas meas fertiles reddo; quiſquis poſſeſſiones ſuas fœcundas & fertiles videre deſiderat, eaſdem induſtriè & ſollicitè cultivare debet; Non ſum ego qui meſſem vicini mei ſterilem efficio, ſed propria ipſiuſmet negligentia, labores, non verò otium terram impinguant & fœcundant, malè igitur & valdè temere vicinus meus judicavit: *Inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit* (inquit Plinius lib. 18. hiſt nat. cap. 6. (*ferramenta egregiè facta, graves ligones, vomeres ponderoſos, boves ſaturos, poſtea dixit: veneficia mea, Quirites, hæc ſunt, nec poſſum vobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliaſque & ſudores.* Enimverò, quia Pompejus tibiam quandam confractam habens, eidem medendæ faſciam quandam, qua olim Regum frontes cingi ſolebant, circumligavit, ideò in hanc mox raptus eſt ſuſpicionem, ut de eo judicarint, & publicè divulgarint, eum ſibi tanquam Regi, Romani imperii diadema vendicare, Reipublicæ autem libertatem conculcare decreviſſe: *Alligato crure uſurpatum imperium putat populus Romanus, atque crimini illi datum fuit, quod Regium diadema vindicaret,* inquit Alexander ab Alexendro Dicite autem, vos amabo, an judicia aliqua magis temeraria, aut à levioribus motivis deſumpta inveniri poſſint, Galba à Cornelio Tacito injuſtitiæ & imprudentiæ magnæ arguitur, eo quod Cingonium Varronem, & Petronium Turpilianum cæco quodam modo mortis reos eſſe judicarit: *Tardum Galbæ iter, & cruentum interfectis Cingonio Varrone Conſule deſignato & Petronio Turpiliano conſulari, ille ut Nimphidii ſocius, hic ut Dux Neronis inauditi, atque indefenſi velut nocentes perierant.* O quanta temeritas, quis actiones proximi bonas vel malas clauſis oculis dijudicare non dubitet?

D. Paſch. lib. 2. cap. 1

Tertul in Apologia cap. 21.

12. Joſeph Vicerex Ægypti inter fratres ſuos qui in Ægyptum frumenta ſibi comparandi causâ venerant, amabilem quendam jocum instituere volens, juſſit ut dum menſis frumentis implerentur ſacci, ſcyphus ſuus argenteus in ſaccum Benjamini inter frumenta clam poneretur; poſtea verò fictâ quadam voce proclamari fecit hunc ab illis furto ſublatum eſſe: mox igitur ut diſceſſerunt, apparitores poſt illos miſit, qui eos inſequerentur, ac ſcyphum ſublatum ſaccos explorando inveſtigarent. Hi igitur ſtrenuè eos inſectantur ac tandem aſſecutos ſubſiſtere jubent, luſtrant, quaquaverſum ſaccos exonerant, ac tandem in ſacco Benjamini miſſis inter frumenta manibus, quem quærebant, ſcyphum inveniunt: *Quos ſcrutatus incipiens à majori uſque ad minimum invenit ſcyphum in ſacco Benjamin.* Perfacilè eſt judicare omnes reliquos fratres inopinatum hunc caſum videntes veluti præ ſtupore mortuos ſeſe mutuò reſpiciendo attonitos obmutuiſſe, atque in doloris ſui ſignum ſuas ſibi laceraſſe veſtes; adducuntur igitur in carcerem & conſpectui Viceregis ſiſtuntur, per viam autem, inquit S. Ephrem Syrus, adverſus Benjaminum, quem ob furtum in ejus ſacco repertum tranſgreſſorem eſſe judicabant, ita accenſi, præ rabie vivum devorare velle videbantur, ſuum ei errorem, quem ipſum commiſiſſe credebant, continuò exprobrantes, eidemque his & ſimillibus verbis comminantes: Revera peſſimi omnius filius tu es, verus es Joſephi illius frater, qui ambitione ductus omnibus aliis major eſſe prætendebat, unico verbo dicere ſufficiat, te filium eſſe Rachelis iſtius, quæ Labani patris ſui idola aurea furto ſubripuit, commiſſumque furtum poſtea negavit: ex matre rapace alius naſci non poterat, quàm qualis tu es peſſimus latrunculus. Verum

ne dubites quia ſi hunc errorem commiſiſti, graviter pœnitebis: *En filius Rachelis es, quæ furata eſt idola, & tacuit.* O miſera innocentia ſubitò rea judicata & condemnata! Amabo vos ô Auditores, dicite mihi: fueratne Scyphus hic à Benjamino ſublatus: Certum eſt quod non. Quomodo igitur reus furti judicatur? imò verò ex quo ſcyphum in ejus ſacco inveniunt, quid aliud judicare poſſunt, quàm furti eum reum eſſe? Indicium etenim nimis eſt manifeſtum; quomodo enim non judicabitur fur eſſe, apud quem furtum revera depræhenditur: Unde fratres omnes Benjamino dicebant (prout illos S. Ephrem loquentes introducit:) *Vos ſcandalum fuiſtis patri noſtro, tu & Ioſeph filii Rachel: Ioſeph enim ſuper nos regnare voluit, & meritò à fera comeſtus eſt, tu autem rurſus frater ejus, in ignominia & probro nos eſſe fecisti: Nonne vos eſtis filii Rachel, quæ patris ſui idola furata eſt & negavit?* Sed quis tandem rei hujus finis? Benjamin innocens eſt, & judicia à fratribus ſuis facta temeraria fuiſſe apparuit; Ita accidit iis, qui judicant *ſecundùm faciem.*

13. Conjux Putipharis pallium in manibus ſuis deferens coram marito ſuo comparuit, magno cum dolore & lamentis recenſens, qualiter domus ſuæ ephebus vim ſibi inferre non erubuiſſet. Unde hunc in modum eam lamentatam ſuiſſe exiſtimo. Famulis domus nimiam indulgentiam nihil eſt aliud, quam evidentem occaſionem præbere, ut effrænes fiant & diſſoluti: Noſter ſervus ex domus ſibi commiſſæ adminiſtratione, jus quoque ſibi in ipſam Dominam vendicare voluit. Heri dum ſola in cubili meo domeſticis dedita eſſem exercitiis, ſibi perſuadere auſus fuit in tantam ſe mecum familiaritatem ingerere poſſe, ut ad condeſcendendũ lubitæ ſuæ libidini facilis futura eſſem: *Ingreſſus eſt ad me ſervus Hebræus, quem adduxiſti, ut illuderet mihi.* Ego quidem ob inauditam ejus temeritatem continere me non potui, quin furore accenſa hiſce manibus de eo juſtam ſumerem vindictam: ipſe autem ſuper errore ſuo ſe reflectens, meumque furorem metuens alio medio præterquam fuga ſibi conſulere non potuit, culpâ autem ejus, quæ tranſgreſſoribus ſupplicia ſuperinducit, factum eſt, ut pallium ex humeris ejus decideret, ut mihi innocentiæ meæ argumentum, ipſi verò libidinis ſuæ teſtimonium eſſet: ulterius quidem dicendo non progredior, quia verecundiæ rubor genas invadens non permittit, hoc ſolum dicam, quod palliũ hunc impudicum juvenem in fuga ſua comitari dedignatum fuerit; res quoque ad eum ſpectantes ipſum exhorreſcunt, utpote quæ ad ſui condemnationem in manibus meis remanſerunt. Et qualem ſervus aliquis majorem errorem committere poſſet, quam ſi quis eò temeritatis aſcendat, ut amborum noſtrorum reputationem contaminare non erubeſcat? Hanc ei pœnam hujus criminis cauſa imponere, ut ſcilicet pedem vel oculum hiſce muris inferre non amplius audeat, pœna non eſt, cùm in noſtro ſemper arbitrio poſitum ſit ipſum etiam cum omni irreprehenſibili fidelitate domui noſtræ ſervientem ſine cauſa dimittere, ac proinde vide quid de ipſo ſtatuas, meam namque, imò tuam exiſtimationem tuis tibi manibus conſigno. Enimverò ô Auditores: cogitate an non quot verba hæc mulier protulit, tot muſcas Putipharis naribus ingeſſerit, maximè quando manifeſtum veſtis Joſephi indicium cum energia ſermonis Conjugis ſuæ conjunctum vidit: *In argumentum ergo fidei pallium retentum oſtendit marito revertenti domum* Porrò Putiphar audita hac relatione adeò vehementer excanduit, ut omnia ſibi relata veritati conſentanea eſſe judicans, maximè dum accuſationes Conjugis ſuæ pallium veluti teſtis ſtabilit & confirmat, ſervum hunc judicans veluti reum perpetui carceris condemnarit, nec erat qui pro Joſepho loqui auderet: *His auditis Dominus, & nimium credulus verbis Conjugis, iratus eſt valdè, tradiditque Ioſeph in carcerem* Dicite ſodes ô Auditores, eratne Joſeph verè culpabilis & reus? Minimè gentium: cur igitur à Putiphare judicatur & ſententiæ ſubjicitur? Nolite mirari hoc: ipſe namque judicavit *ſecundùm faciem,* atque ideò ſequi non poterat, præterquam ſententia injuſta & temerarium judicium. Verùm dicat aliquis: non apparebat pro Joſepho vel minimum innocentiæ indicium: Sed nec minimum ſtellarum veſtigium in cælis de die apparet, nec tamen quis inde affirmare auderet, illas non eſſe, *non cernuntur, ſed adſunt.* Dicetis ad hæc, accuſationes mulieris, & teſtimonium pallii manifeſta fuiſſe reatus ſui indicia: Reſpondeo, ſi hoc valet, pati quoque ratione Iridem rubeam & viridem eſſe judicaretis: hiſce namque coloribus ſeſe prodit, cum tamen verè illis tincta non ſit, ſed colores hi lumen quoddam ſunt in aere per reflexionem formarum.

14. Principes Sacerdotum, & univerſum Phariſæorum concilium laborabant ut teſtem aliquem reperirent, qui querelam ad Chri-

ſtum

ſtum mortis condemnandum ſufficientem de-
Matt. 26. poneret : *Principes Sacerdotum & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, ut eum morti traderent*; at verò quacunque tandem diligentia adhibita ejuſcemodi teſtimonium invenire difficilè illis erat. Tandem duos ſubordinarunt, qui coram univerſo concilio ſe ſiſtentes atteſtarentur ſe audiviſſe Chriſtum dicentem, quod templum Dei demoliri vellet, illudque intra triduum denuo reædificare : *Noviſſime venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt : Hic dixit, poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Optarem hoc loco certior fieri an hæc verba à Salvatore noſtro dicta fuerint, an verò ſit falſum à teſtibus confictum mendacium. Informat nos hac ſuper re ſanctus Joannes Evangeliſta : Hic etenim refert Filium Dei templum ingreſſum dum illud prophanari videret, prophanatores facto è funiculis flagello inde profligaſſe ; quod Judæi cernentes ita accenſi interrogarunt, qua authoritate hanc illis vim in-
Ioan 2. ferret : *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis* ! quibus Dominus reſpondit : *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* In hiſce igitur verbis prædicti ſe teſtes fundarunt, ac proinde verba illa nonnihil examinemus, ac videamus an querela ab iis allata verbis Salvatoris noſtri conformis ſit : Chriſtus dixit: *Solvite templum hoc*, dextræ ſuæ digito corpus ſuum de-
D.Paſch. monſtrando : *Templum corporis quaſi digito tan-*
in c.26. *gebat*, aſſerit S.Paſchaſius, quia *intelligebat de*
Matth. *templo corporis ſui*, quid autem teſtes deponunt ? *hic dixit poſſum deſtruere templum Dei.* At verò ſi Chriſtus verba illa de corporis ſui templo intelligebat, quomodo teſtes illa de templo Dei aſſerere audent, de quo ipſe nunquam locutus eſt aut loqui cogitavit ? vides hic manifeſtè ob oculos poſitum præſentis diſcurſus argumentum, ſiquidem teſtes hi temerarium fecere judicium credentes Dominum de materiali Dei templo
Abul. in fuiſſe locutum : *Qui re non ſatis percepta cæco no-*
ep.ad Phil. *cendi impetu falſum ac temerarium de ipſo tule-*
c.2.n.15. *runt teſtimonium.* Solemnis etenim hominum
n.8 f.164. mos eſt actiones alienas *ſecundùm faciem* & pro libitu arbitrii judicare, unde fit quod judicia pariter & teſtimonia fallant.

15. Notum vobis eſſe exiſtimo, nullum in
Hier. ad Scriptura ſacra verbum vel punctum imò ne jo-
Paulam ta eſſe, quod ſuo non ſit affectum myſterio, ut
Euſeb. l.10 docet S. Auguſtinus, Hieronymus, S. Euſebius
de præpar. & alii. Qua veritate ſuppoſita pater Oſorius
Ev.c.2. ingenioſam ſuper litteras alphabeti Hebræi ordinate in Threnis Jeremiæ Prophetæ diſpoſitas, facit obſervationem : dictus enim Propheta in capite primo Threnorum ponit *Ain* : ante *Phe* id eſt *A* ante *P*. eo quod hoc ordine prædictæ litteræ in alphabeto recenſeantur ; poſtea verò in capite ſecundo & tertio hunc ordinem invertendo ponit *Phe* ante *Ain*, id eſt P. ante A Quonam eſt hæc Prophetæ variabilitas vel potius quodnam eſt hic à Propheta intentum myſterium? cur in ſecundo & tertio capite litteras prædictas non eodem ordine diſponit uti in primo fecerat? impoſſibile eſt hujus myſterii difficultatem penetrare, niſi prius ſtuduerimus prædictarum literarum ſignificatum agnoſcere: Dicit igitur Oſorius, quod Ain ſignificat oculos & Phe denotat os ; Deus qui linguam Hebraicam tradidit & docuit, prædictas litteras hoc ordine exposuit, ut Ain ponatur ante Phe, id eſt oculi oris præcedant exercitium, quaſi Deus dicere vellet, priuſquam ore judicium efferatis & ſententiam pronuntietis, opus eſt ut per oculos de veritate reddamini certiores ; ac proinde Jeremias in capite primo litteras illas diſpoſuit juxta ordinem alphabethi ; At verò in capite ſecundo & tertio eaſdem tranſpoſuit & ordinem variavit, quia demonſtrare voluit, quænam eſſet hominum conſuetudo, utpote qui præmittunt Phe ante Ain id eſt P. ante A. ſive ante oculos actiones humanas ore judicando & ſententiando priuſquam de illis per oculos facti ſint certiores. Conſuetudo nimirum ab Jeremia valdè deplorata, qua homo ore affirmare non dubitat licet id oculo ſuo nunquam viderit : *Vt ergo ſignificaret Ieremias, Hebræos peccatis ſuis invertiſſe hunc ordinem, prius loquendo ac judicando de rebus, quam illas vidiſſent, ideo Propheta eum literarum ordinem invertit, quia illi temerariè de rebus judicabant, ac loquebantur quæ non viderant.*

16. Verum enimverò quod ſi adeò temeraria naſcantur judicia, quando *Phe* præcedit *Ain*, cogitetis velim quid futurum ſit, quando *Ain* præcedit *Phe*. Supponamus igitur vos nunc recenter in hunc mundum naſci, nec ullam habere cognitionem ſive Judæ, ſive latronis, quorum utriuſque vitam & mortem vobis repræſentabo: Scitote igitur, quod Judas fuerit unus ex dilectiſſimis, quos Filius Dei in hoc mundo habuit, latro verò unus ex peſſimis, qui dæmoni ſervierunt : Judas erat Chriſti Apoſtolus, latro verò homicida, & viarum inſidiator truculentus : Judas intrinſecus erat amicus Salvatoris, latro verò iniquitatibus confœderatus : Judas ſeque-

ſequebatur Redemptorem tanquam diſcipulus Magiſtrum, latro vero Deum ſibi fecit inimicum: Judas Collegii Apoſtolici neceſſitatibus proſpiciebat, latro alienas facultates diripiebat: Judas nonnunquam in gratia Dei erat, Latro autem in continuâ Dei irâ vivebat: Judas amabatur à Magiſtro, latronem ſancti proſequebantur odio: Judas Epiſcopus fuit, Latro ſicariorum caput: Judas fecit miracula, latro commiſit homicidia, & alia crimina. Quid igitur de ambobus dicetis? aut quodnam de utroque formabitis judicium? Quod ſi qualitates perſonæ ex actionibus judicari debeant, neceſſum erit, ut Judam veluti ſanctum canonizemus, latronem vero condemnemus tanquam perverſum; verum ignoſcite mihi ô Auditores, nam in judicando temerarium feciſtis judicium: Latronem eum, quem reprobum exiſtimabitis, factus eſt ſanctus, ab ipſomet Dei Filio canonizatus, dum ait: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo;* Judas autem, cui tanquam ſancto acclamabant, dæmonem ſe eſſe probavit: *Vnus veſtrum diabolus eſt;* ac tandem *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus.* Unde Anaſtaſius Sinaita ait: *Latro ille, qui una cum Ieſu crucifixus eſt, ſicarius erat & homicida: Iudas autem erat Apoſtolus & Diſcipulus Chriſti, & ex [illegible] diſcipulis: in exiguo autem tempore magna rerum commutatio facta eſt, & latro [illegible] regnum, diſcipulus vero in perniciem abiit.* Videte igitur, qualiter actiones humanæ faciem ſuam mutent? ac proinde temeritas eſt judicare ſecundum faciem. Quis Saulum lupum rapaciſſimum eſſe non dixiſſet, quando *accepit epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas, ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem?* Et tamen deinceps factus eſt *Vas electionis iſte, ut portet nomen meum coram gentibus;* Quod ſi Herodem audiſſes loquentem dicentemque Magis: *Ite & renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Nunquid eum verum credidiſſes eſſe devotionis & ſanctitatis ideam? & tamen fæx erat malitiæ, omniſque iniquitatis excrementum: *Quærebat puerum ad perdendum eum.*

Luc. 23. Joan. 6. Act. 1. Anaſt. Sinait. Act. 9. Matth. 2.

17. Pro majori hujuſce veritatis evidentia obſervate, ſi ita libet, duarum Hebræarum mulierum vitam & mores, ut juſtum de utraque ferre poſſitis judicium. Thamar earum una eſt, mulier quidem maximæ virtutis, regiâ ſtirpe orta, atque inter deliciarum flores contrita; quocunque oculos vertebat, Majeſtatem ſpirabat & decorem; in ejus vultu pulchritudo pariter & honeſtas in tranquilla pace reſidebat, adeoque pudica erat & caſta, ut vel minimum inconcinnum verbulum ad puritatis ſuæ candorem cum nive decertantem contaminandum ſufficeret: Hæc tam pudica mulier ex præcepto Regis patris ſui juſſa eſt infirmanti Ammoni fratri ſuo aſſiſtere, cui illa obediens ſummâ cum ſollicitudine huic ſe curæ accinxit; atque charitate plena fratrem ſuum nunc ad patienter ferenda fortunæ adverſæ mala exhortabatur, nunc eum conſolabatur, reddendo eum ſecurum, morbum non eſſe periculoſum; nunc ſpem ei faciebat, infirmitatem non futuram eſſe diuturnam. Nunc ſudorem è fronte candidis linteis abſtergebat; nunc ventilabro ex diverſi coloris plumis confecto febris mitigabat ardores, quibus eum excoqui videbat; nonnunquam nobilis promæcondæ præſtabat officium, propria manu victum ei præſentando, hacque ratione teſtabatur majorem in pectore ſuo flagrare charitatis ardorem, quam eſſe poterat ardor febris Ammonis viſcera depaſcentis. Obſervate igitur nunc ô Auditores converſationem, indolem & benignitatem Thamar virginis erga fratrem ſuum: poſtea enim veſtrum mihi referre poteritis judicium; ego interim cogitationes meas ad id reflectam, quod de venerabili Juditha ſacra refert hiſtoria: hæc etenim relicta vidua pulcherrima erat omnium mulierum Hebræarum: Cum vero Holofernes Bethuliæ civitatem obſideret, depoſito omni apparatu viduali, omnique veſtitu lugubri, rejectiſque obſcuris velis, quæ veluti vexilla interiorem animæ mœſtitiam explicabant, eo quod omnem ſuam lætitiam ſimul cum dilecto ſuo Conjuge intra ſepulchri anguſtias condidiſſet, veſtibus ſe pretioſiſſimis & jucundiſſimis quæ inveniri aut excogitari poterant, induit, in quibus poſt viduitatis ſuæ tenebras quaſi novella aurora læta & ridens apparebat, ut per artis ornamenta incomparabilis pulchritudinis ſuæ florem adaugeret, eoque fine ſpeculum frequenter velut fidelem ſuum ſecretarium in conſilium adhibuit; ſtudioſa quoque pectine eburneo veluti raſtro aureum comæ ſuæ agrum colebat, & univerſale vultus ſui forum criſpatâ capillaturâ ſuâ in formam gratioſæ pyramidis exornabat, candidam colli ſui arcem numeroſo margaritarum & corallorum circumdabat exercitu, atque duos tremulos ex auribus rubinos ſuſpendebat. Tandem vero uſa ducatu mulieris

2. Reg. 13.

cujuſdam ætatis confectæ & maturæ ad tentoria ſe recepit inimici exercitus, militumque copias audacter pertranſiit, inter quos nullus erat, qui ad ejus aſpectum non hæreret attonitus, pulchritudinis in ea miracula ſummè admirantes; tandem ad Holofernis tentorium generoſa & intrepida accedit, obedientiam ei exhibet, minuſque honeſtis ſibi per Holofernis Ephebum indicatis nuntiis minimè contradicit, imo ad omnes ejus nutus promptiſſimam ſe obtulit di-

*Judith. 12.* cens: *Quæ ego ſum ut contradicam Domino meo? omne quod erit ante oculos ſuos bonum & optimum faciam.* Enimvero nunc inter Thamar & Juditham comparationem quandam inſtituamus. Hæc nativâ ſuâ pulchritudine, quæ terminos excedebat, minimè contenta, vanè adornatur, obambulat de nocte, in tentoria ſola cum Holoferne homine non minus ſenſualitatibus quam armis dedito commoratur, ſeque ad omnia arbitrii ſui beneplacita promptiſſimam offert; Thamar vero modeſtiſſima Virgo è palatio paterno non egreditur, patri ſuo in cunctis promptiſſimè morem gerit, infirmi fratris ſui curæ ſummâ cum charitate aſſiſtit, eamque ne vel minima invadere potuit cogitatio, quæ vel mentem, vel caſtitatis ſuæ candorem maculare potuiſſet. Dicite nunc ſodes ô Auditores, quodnam vobis de duabus iſtis mulieribus formabitis judicium? Etenim mentis veſtræ ſententiam me percepiſſe exiſtimo: exiſtimatis enim non poſſe vos aliud quàm malam præſumere de Judith, de Thamar vero optimam: Verumtamen contrarium conjicere debebatis: Judith namque tanquam mulier bona ingreſſa eſt tentorium, indeque exivit tanquam Sancta; Thamar autem ingreſſa eſt caſta ad fratrem, verum ab ejus indomitis concupiſcentiis depreſſus eſt irreparabilis flos ſuæ puritatis. Num hoc vobis difficile videtur ad credendum? Legite Scripturam, & verum eſſe inveneritis quod dixi: *Oppreſſit eam, & cubavit cum ea.* Nunquid igitur vobis dixi quod judicare ſecundùm faciem ſit idem, quod exponere ſe periculo impingendi in ſcopulos temeritatis. Vere mundus ejuſcemodi judiciis falſis plenus eſt, quæ raro formantur *ex indiciis levibus, de bono alicujus,* ſed potius econtra, non obſtante quod ſanctus Thomas dicat,

*D.Th.2.2. q.60.a.4. ſ 19.co.1. & 2.* quod *dubia in meliorem partem ſunt interpretanda.* Porrò dæmon Patris æterni vocem de cœlo lapſam audiverat, qua Chriſtus Unigenitus ejus Filius eſſe declarabatur: *Hic eſt Filius*

*Matth. 3.* *meus dilectus.* Et tametſi ſciret, quod vox Dei fallax non ſit, nec eſſe poſſit, nihilominus ad credendum eum Dei Filium eſſe induci non potuit: iterata vice eandem Patris cœleſtis vocem, Chriſtum Unigenitum ſuum eſſe acclamantis in monte Thabor auſcultavit: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui;* Et tamen à pertinaci incredulitate ſua non dimovetur; ſed ipſum hominem, non vero Deum eſſe judicat, ac proinde in deſerto eum aggreditur, & tametſi ſciat, quod inibi jejunarit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, qualis abſtinentia puro & ſimplici homini prorſus eſt impoſſibilis, nihilominus induci noluit, ut ipſum Deum eſſe crederet, ſed potius hominem fragilem & vilem & cuivis alteri ſimilem eſſe judicat: ac proinde ei dixit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Quaſi dicere vellet: licet prolixitas obſervati à te jejunii te Deum eſſe præconizet, ego tamen ad te talem judicandum miram habeo repugnantiam. O iniquitas diabolica! videt & audit ſigna Divinitatis, & humanitatem judicat! Audit & videt certitudinem nobilitatis & gloriæ Divinæ, & tamen ignominiam, vilitatem, & miſeriam humanam eſſe apprehendit? *O cæcitas diaboli manifeſta!* exclamavit contra dæmonem Chryſoſtomus homilia quinta in Matthæum: *quomodo ſuſpicatus eſt eum non eſſe Filium Dei, quem poſt quadraginta dies eſurientem ſenſit, & per quadraginta dies eſurientem non intellexit? Per quadraginta dies non eſurire, hominis non eſt.* O quot ſunt hodie diaboli ſequaces & diſcipuli! Contingat enim, quod Mercator ille vel nobilis in agone conſtitutus Teſtamentum condat, & tali Eccleſiæ mille ſcuta relinquat, quatuor millia pro dotandis puellis in matrimonium collocandis, duo millia tali hoſpitali, quingenta diſpenſentur inter pauperes, hæcque omnia executioni mandentur; priuſquam corpus ſepulturæ tradatur, idque non alio fine, quam ad majorem Dei gloriam, & in beneficium animæ ſuæ. Plebecula id videns vel audiens ſubito in tale prorumpit judicium, hæc legata non ſunt opera pia, ſed potius furtorum factorum reſtitutiones, quas quia in vita & ſanitate non fecerat, in morte facere coactus fuit. O judicia humana, poteſtne major hâc temeritas audiri? Optimè tali cuipiam temerè judicanti adaptari poteſt dictum illud ſancti Pauli: *In quo alterum judicas, teipſum condemnas, eadem enim agis, quæ judicas.* Similiter eſt qui ambulat per hanc vel illam plateam, in cujus extremitate Eccleſia quædam ſituata eſt; tu qui ipſum tranſeuntem vides, ſubito judi-

cas;

…as, quod non ad Eccleſiam, ſed ad domum meretriculæ in illo diſtrictu habitantis ſe recipiat. Cur autem tibi in mentem non venit, quod facilius eſt, ſcilicet quod Eccleſiam petat: Num forté Turca vel Hebræus quidam eſt, quibus aditus ad Eccleſiam non patet? Breviter dicam qua ratione id ipſum intelligam, & quomodo id declaret ſanctus Paulus; nimirum quod tu facturus eſſes, alios quoque facere judicas: *Eadem agis quæ judicas* Verum enimvero punctum illud in præſenti dimittamus, utpotè de quo in ſecunda parte prolixius dicemus: Etenim ſi mihi de vobis hic præſentibus aliquod formandum eſſet judicium, benè & non malè de vobis judicarem, exiſtimando vos charitativos & eleemoſynarios eſſe, vos interim curate ne meum me judicium fallat, ſed in judicando verax exiſtam, quo fine pauperes & inopes vobis enixè commendo.

## PARS SECUNDA.

18. HActenus vidimus, quod cuivis judicare volenti procedendum ſit pede plumbeo, eo quod judicia repentina communiter temeraria exiſtant; nunc vobis demonſtrabo, quod quilibet ſui judicii ideam à ſemetipſo accipiat, cum certiſſimum ſit, quod qui malè facit, malè cogitat: *Mala mens, malus animus*; Tales eundem ſemper de aliis male judicant, quales ipſi ſint, clarè demonſtrant: *Oſtendunt quam ipſi vivant, qui malè de omnibus ſuſpicantur*, inquit S. Hieronymus Mulier mala vicinam quoque ſuam talem eſſe credit, ſcriba qui fur eſt judicem quoque furari cogitat: *ex hoc quod aliquis ex ſeipſo malus eſt, ex hoc ipſo quaſi conſcius ſuæ malitiæ faciliter de aliis malum opinatur*, aſſerit Doctor Angelicus conformiter ad illam Eccleſiaſtæ ſententiam, quâ dicit: *In via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* Seneca de quâdam ancillâ ſuâ refert, quod cum præ ſenectute oculorum lumen amiſiſſet, dicere ſolita fuerit, domum eſſe obſcuram, atque à Domino frequenter petierit, quando tandem ab hac adeo obſcurâ domo egrediemur, in qua ſemper tenebræ eſſe videntur. Et de milite quodam ſurdo ſcribit, eum ſemper lamentari ſolitum fuiſſe, quod omnes nimis ſubmiſsè loquerentur, credebatque hanc introductam eſſe conſuetudinem, deinceps elata voce minimè loquendi. Nero qui omnium fuit vitiorum ſentina, alios quoque tales eſſe judicabat, ut hiſce verbis refert Suetonius: *Ex nonnullis comperi perſuaſiſſimum habuiſſe eum, neminem hominem pudicum, aut ulla corporis parte purum eſſe, verum pleroſque diſſimulare vitium, & calliditate obtegere.* Sueton. c. 29.

19. Deſperatus Cain, jamque protervior factus ſemetipſum violentæ cujuſdam mortis condemnavit, dicens: *Omnis qui invenerit me, occidet me*. Gen. 4. O inique, quid loqueris? quemnam adeò temerarium eſſe exiſtimas ut te ſine cauſa morte conficiat? Abel enormiſſimè à te læſus jam morte occubuit & tametſi adhuc vivus ſupereſſet, vindictam tamen quantumvis poſſet, nullam de te ſumpturus eſſet: num fortè genitores tuos Adamum & Evam formidas? ſed qua ratione ab iis mali quid metuere poteris, qui te velut unicam oculorum ſuorum pupillam diligant? id quod etiam ſanctus Ambroſius admiratus interrogat, dicens: *A quo timebat occidi, qui ſolos parentes habebat in terris*; & quidem quando nullus eo tempore in mundo erat præterquam pater & mater ejus, quomodo dicit: *Omnis qui invenerit me occidet me?* hoc ly, omnis, quo referetur ſi nullus præter parentes in mundo aderat? exiſtimo equidem Cainum mortem ſibi à patre & matre ſua inferendam metuiſſe; & ratio eſt: quia cùm ipſe nullum habuerit proprii ſanguinis in violenta fratris ſui trucidatione, reſpectum, judicabat ſuos quoque genitores, pariter affectos fuiſſe; quaſi dixiſſet: Sicuti ego me non reflexi ad hoc, quod Abel frater meus eſſet, ſed eo reſpectu ſepoſito, manus meas in ejus ſanguine contaminavi, ita quoque Adam & Eva genitores mei me utique occident, minimè attendentes, quod unicus eorum ſim filius: *Solemne enim eſt*, ſcribit quidam Modernus, *ut de aliis malè judicent, qui de ſeipſis ejuſdem ſceleris conſcii ſunt.* Ambr. de Cain & Abel lib. 1. cap. 10. Alexand. Pelleg. in Matth. Parad. 1.

70. Matth. 4. Dæmon ſolitarium quoddam, inacceſſum, & à nemine præterquam ab umbris, feris, & filio Dei inhabitatum deſertum ingreditur, in eoque ſe eundem Dei Filium ſuperaturum eſſe temere præſumens; malitioſis tentationibus ſuis eum aggreditur, varioſque cum eo ambulando miſcet ſermones, tandem ad pedem montis cujuſdam cum perveniſſent, non attendens ſtirpium ſaxorumque in via paſſim occurrentium difficultatem, ſenſim ac paulatim ad ipſum uſque montis verticem perducit: *Aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum & altum*; Matth 4. indeque juncto dexteræ oculo

Yy 2 eidem

eidem demonſtrat, quidquid orientem inter & occaſum clauditur, omniumque ſe ei dominium daturum eſſe ſponte promittit, nullo alio tributionis genere ab eo poſtulato, quam ut vaſallum & ſubditum ſe ejus declarans, vel ſemel duntaxat eum genuflexus revereatur & adoret: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Pendebunt à tuis juſſibus ſceptra & coronæ; Provinciæ obedientiam, & regna ſervitutem ſe tibi debere agnoſcent, ſi me adorare decreveris: num fortè dubius hæres, tibique impoſſibile videtur adeò vili pretio monarchias à me divendi? pretii quidem quod exigo vilitatem non inficior, veruntamen qui donum aliquod libenter tribuit, ad jacturas & damna ſua non reſpicit: At verò Dominus, cui fraudes & malitioſi ſpiritus inſidiæ perſpectæ erant, eum deriſit, & turpiter à ſe pepulit, dicens: *Vade Sathana, Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Verum enimverò quamobrem Dæmon mundi dominium Chriſto offerendo eum tentat? exiſtimo quod quia primam gulæ tentationem hiſce verbis: *Dic ut lapides iſti panes fiant,* intentatam, infeliciter ceſſiſſe vidit, ſicut & ſecundam, qua eum de vana gloria tentavit, dicens: *Mitte te deorſum, Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Ideò aggreſſus eſt tertiam, qua eum de ambitione tentare voluit, ſingulari ſtudio ad id conando, ut aliquem in eo imperandi & dominandi appetitum excitaret, ac proinde: *Oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit: Hæc omnia tibi dabo. Vt quem neque cibo pellexerat; nec loco moverat, ambitio corrumperet,* inquit ſanctus Hilarius.

*Hilarius can. 3. in Matth.*

Amabo vos, ô Auditores, dicite mihi, quamnam exiſtimetis cauſam eſſe quod Dæmon Chriſtum per ambitionem tentaverit? Dicet fortaſſe aliquis, Dæmonem crediſſe Chriſtum ambitioni deditum fuiſſe; verum undenam idipſum conjicere poterat? non enim Principum aulas, ſed deſerta inhabitabat; nec quicquam humanos curabat reſpectus aut excellentias, ſiquidem ſua ſemper erat paupertate contentus, nec ullam unquam actionem commiſit, unde eum ambitioſum eſſe deduci poſſet. Enimverò neſcio, an aliquando obſervaveritis, ô Auditores, quale fuerit illud Dæmonis peccatum, ob quod è cælo empyreo præcipitatus & exturbatus fuit: Hoc etenim apud Iſaiam Prophetam manifeſtè ſe prodit, ubi dicit: *In cælum aſcendam, ſuper aſtra cæli ponam ſolium meum, ſedebo in monte excelſo, ero ſimilis altiſſimo;* Iſaiæ 14. quibus verbis evidenter aperit, ſe tanquam ambitioſum ſingulari quodam exarſiſſe deſiderio & cupiditate in cælis regnandi & imperandi æqualiter ipſi Deo, ut aſſerit ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 7. tom 4. dicens: *Paululum te à divinæ præſtantiæ celſitudine abeſſe putaſti, ſolumque forte ipſum tibi fore pervium exſpectaſti, tuum ſolium ſupremo throno adæquaſti, Deo æqualem te eſſe, ſupra creaturam ſtolidè exiſtimaſti, & ultra nubes ſcandere, & in ipſis ſtellis conſidere credidiſti.* Imò tanta fuit ambitione incenſus, ut id ipſum quod Deus illi conceſſerat, & deinceps communicare volebat ex gratia, ex Juſtitiæ debito ſibi deberi prætenderit: *Videns ſe excellentiorem in naturalibus omnibus aliis, voluit quod per naturam poſſet alios illuminare, quod debuit velle hoc poſſe per gratiam.* Ambitio igitur ſtultas ei haſce cogitationes perſuaſit, ut jus aliis imperandi, dominandi, eoſque pro arbitrio regendi ex juſtitia ſibi deberi exiſtimarit; atque ideo quid mirum eſt, quod ipſummet quoque Dei filium de ambitione tentarit? ſiquidem eum æquali ambitione obnoxium eſſe credebat, ac ipſe erat. *Vnde hunc ambitioni ſenſum ebibit?* Interrogat Scriptor quidam Modernus, & reſpondet, quod cum ipſe ambitioſus fuerit, regnandi cupiditatem ipſimet etiam Chriſto prædominatam fuiſſe judicarit: *In conſcientia ſua legens, quod de alieno præſumpſit: itaque in eo quem ſuſpicabatur eſſe Deum, vitium ſibi inditum eſſe cenſuit, in ſua conſcientia malè prælegens alienam, propriamque malitiam vel in Deum auſu temerario reverberans.*

21. Videor mihi ex ipſa Inferni abyſſo querulosam quandam valdeque formidabilem vocem audire, nec tamen agnoſcere eam valeo, auſcultemus obſecro illam in ſilentio: *Pater Abraham;* Luc. 16. interpellat Abrahamum, forte nonnemo ex Rabbinis erit qui ab eo ſibi deposcat auxilium: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti in aquam, & refrigeret linguam meam.* Enimverò ex nunc vocem clamantis agnoſcere incipio; vox etenim eſt Epulonis: ſed ô infelix quid facis? pietatem fortè tibi exhiberi expoſtulas? Nulla tibi deinceps reliqua eſt pietas, nec alia tibi quam flammarum debetur conſolatio? In hoc mundo te deliciis tuis gaviſum fuiſſe ſufficiat: *Recepiſti bona in vita tua;* nec eſt à Patre Abraham exauditus. Verum cur non potius ad Lazarum mendicum confugit? Nimirum probe recordabatur exercitæ in eum nimiæ crudelitatis, dum vivus eſſet vel minimam ei panis

micam negando, ideo Lazarum quoque ſibi crudelem futurum fuiſſe judicavit, ne hanc quidem aquæ ſtillam ei indulgendo: *Cur Abraham orat, & non Lazarum?* reſpondet idemmet Epulo: *Si ego in tanta felicitate poſitus contempſi illum in ſua anguſtia derelictum, multò magis ipſe contemptus, vindicabit injuriam, & non veniet ad me.* Omnium etenim malorum proprietas eſt, quod alienas actiones menſura malitiæ propriæ metiri ſoleant, alios iiſdem defectibus coinquinatos eſſe judicando, quibus ipſimet ſe obnoxios eſſe ſciunt; unde ſi vultis ſcire in quodnam aliquis peccatum pronior exiſtat, obſervate quod de aliorum defectibus ſibi format judicium.

22. Verum enimverò quis eſt qui ignoret, quod *oppoſitorum eſt eadem diſciplina?* atque ideo quotquot boni ſunt & virtuoſi, nihil mali de alio cogitant; imò tametſi tale quid de alio audiant, vel videant, id tamen verum eſſe non credunt, & benignius interpretantur, nullum facientes judicium *de malo alicujus.* Porrò tres Reges Orientis ſtella duce Hieroſolymam uſque perveniunt, ibidem locum in quo recenter natus Rex Judæorum inveniri valeat, inquirunt. Etenim ab Herode regio ſplendore, prouti illorum merebatur auguſta conditio fuere excepti, qui cùm cur regnis ſuis relictis in eas ſe regiones contuliſſent interrogati, reſponderunt, ſe alio fine convenisse quam ut debita veneratione novum Judæorum regem adorarent: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* Verum, ô ſancti Reges, quid dicitis? Conveniтne in regno alieno mentionem facere alterius Regis in eodem dominandi? Rex moderuus etiamnum vivit, & coram ejus conſpectu dicere audetis de applauſibus quos alteri Regi inſtituere paratis? An ignoratis quod in Judæa alius Rex non agnoſcatur præterquam Herodes? utique non cognoviſtis eum, quod ſi enim noſſetis quam ſit dirus & crudelis tyrannus, cautius utique loqueremini, nimiam vobis noxam conciliatis, directè namque regiam perſonam offenditis, maximè verba adeò offenſiva in ipſiſſimam ejus faciem ingerendo. Verumenimverò nolite mirari, tres namque hi Orientales monarchæ Principes boni erant & pii, natoque novo Regi optimè affecti, atque ideo Herodem quem minimè noverant, talem quoque eſſe exiſtimabant: *Ipſi quidem proni fuiſſent ad ſceptra, coronas & regna ſua novello recens nato Regi renuntianda eandemque de Herode opinionem conceperant. Et quia bona erant mente præditi, talem quoque Herodis mentem eſſe credebant.* Balth. Arias ſer. 2. de Epiphan fol. 159. col. 2.

23. Quid ulterius dicam? Chriſtus manifeſtum ſatis ſignum Apoſtolis ediderat, unde Traditorem ſuum agnoſcere potuiſſent, dum ait: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet,* Matth. 26. Vident etenim hunc Judam eſſe, nec tamen ullus eum alloquitur, ut à ſuo eum errore reſipiſcere faciat, atque à tam enormi ſcelere eum divertat. Quid igitur facitis, ô Diſcipuli? In veſtra poteſtate poſitum eſt ingentis hujus mali remedium & negligitis? Cur debitum Judæ charitatis officium non impenditis? Num fortè Judam traditorem eſſe dubitatis? Difficulter id credere poſſum, cum idipſum Magiſter veſter per ſigna nequaquam obſcura inſinuatit: Chryſoſtomi os aureum, auream profectò ad hoc reſponſionem ſubnectit, dicens: *Cùm enim longe à tali ſcelere abeſſent, neque de aliis ſuſpicabantur.* Chryſoſt. hom. 71. in Ioan. Quilibet enim ſuomet manum pectori admovebat, & quales ipſi intus erant talem quoque Judam eſſe judicabant. Habetote igitur, ô Auditores veritatem hanc veluti Maximam infallibilem: *Eadem agis quæ judicas.* Et iterum: *Nolite judicare ſecundùm faciem.*

---

# SERMO XXV.

# IN FERIAM QVARTAM DOMINICÆ IV. QUADRAGESIMÆ.

*Prætriens IESVS vidit hominem cæcum à Nativitate.* Joan. cap. 9.

1. VAriæ quidem ſunt, quæ in corde humano reſident, paſſiones, veruntamen incredibile eſt, quantum inter cæteras impia illa Circe crudelis Megæra, & venenoſus Ceraſtes invidia præva-